

Bibliothèque numérique

medic@

Thevenot, Gaspard - candidat / de la
Roche, Louis-Joseph - président. - [De
graviditate et partu]

1752.

***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°19***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0019](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0019)



D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.



UÆ genitalium organorum fabrica, structura, Anatomiâ duce, oculis patet : illa cui subdita functioni, omnibus notum ; hominis procreationem incipiunt, perficiunt. In aurâ seminali, vel in ovo statuenda certè fœtûs primordia : num in hoc potius quàm in illâ, aut in utroque ? meritò dubium insurgit. Hinc quid sit generatio, quomodo fiat, enodare fatearis arduum : opus generationis, naturæ mysterium, sensibus additum.

IN pelvi, quæ latior in foeminis, vesicam & rectum interjacet



2

musculus cavus, elasticus, vascularis, pro solito triangularis, piri depressi figuram æmulans, ligamenti quatuor, latis nimium & teretibus detentus; hic uterus audit: unicus à naturâ, quem bipartitum aut duplicem quandoque exposuit cadaverum dissectio (a): haud mirum itaque tunc super foetatione macedisse (b). Tenui membranâ, necnon villosâ intus obtegatur uterus, innumeris vasorum osculis, foraminum instar, in fundo pertusâ: verum in collo, vaginæ continuâ, multis rugis & lacunis ornatâ.

IN duabus peritonæi duplicaturis, seu vespertilionum alis (c), circa uteri fundum latitant corpora oblonga, innumeris vesiculis, humore albo viscido repletis, conflata; à veteribus testes, à recentioribus vulgò ovaria nuncupantur, quibus laxè annectuntur tubæ fallopianæ, conicæ, vermiformes, laciniis instructæ, fibris contractilibus firmatæ, transversimque ab ovariis ad uterum sitæ, cujus in angulis supernis hiant obliquè. Quid magis præstent ligamenta teretia in gravidis, ex illorum sitû, fabriquâ liquet (d).

INTERNAS partes generationi dicatas alligat, velat extensile peritonæum; egregiè reduplicatum; vasa, has irrorantia, sustinet, tegit. Plexus diversos, reticulares constituunt uteri vasa, multa, infinitè divisa, anastomosibus ubique unita, mirificè intorta: ex his & nervis copiosissimis harum-ce partium cum pluribus aliis deducendus consensus: indè Physiologicæ & Pathologicæ veniunt animadversiones.

SANGUINIS & spirituum affluxû turgens, validus, æstuans coëuntis mulieris uterus ovum maturius ab ovariis, peculiari motu convulsivo blandè subsilientibus, divulsum, per rigescentem tubam vectum, recipit, detinet, usque dùm missili semine, magnâ vi ad uterum immisso, perfusum illud, foecundetur, animetur: dein strictis & corrugatis ejus fibris, uterus clauditur, vivificatum ovum intimè amplectitur & ab externis sedulò defendit.

(a) Vid. Regneri de Graaff Tract. novus de mulierum Organis. Cap. VIII. De Utero. M. Didier 2^{us}. in Regiæ Chirurg. Acad. cætu uterum duplicem exposuit: similem M. Suë 2^{us}. in Regiâ Scienti. Acad.

(b) De superfœt. conf. thes. Argentorati propug. an. 1738. & fig.

(c) D. Winsl. Exp. Anatom. Trait. du bas-ventre §. 602. 3. 4.

(d) Vid. Regneri de Graaff idem Tract. Cap. X. deligam. Uteri.

FÆCUNDATUM in utero (a), imò obtumens ovum, undique leniter pressum, ejus membranarum ope inhæret ubique: at magis intimè fundo, his mediantibus fibris & valis, quibus ovario infigebatur: undè pars illa vascularis, binarum ovi membranarum exteriori intertexta, hepar uterinum nempè, seu placenta.

JAM puncto saliente se prodit Embryon, humore limpido innatans; jam succorum beneficio imperispicue expanduntur fibrillæ, membra evolvuntur, organa compaginantur, firmantur; tùm fœtus est, cujus sunt singulis diebus incrementa. Quòd excrementum in utero non deponat fœtus; quòd per funem umbilicalem tantùm assumat alimentum; haud stupeas, non respiciat enim: aliæ sunt insuper in eo ac in adulo circulationis viæ.

RATIONE quidem, sed imprimis tactû graviditatis signa expromenda: ad rationalia attentè gestantis consideretur status: vix concepit mulier solitæ purgationes irretiuntur, vel cessant; turgent mammæ, lactescunt; obtumet uterus, extenditur; viscera premuntur, functiones turbantur; novi hospitis pondere molestè ligamenta trahuntur; undè corporis torpor, lumborum gravitas, inguinum dolor, nausea, malacia, vomitus, ptyalismus creber, odontalgia pertinax, &c. Hæc autem symptomata, aut saltèm plurima impægnationem concomitantur. Ad tactum potius, tertium versùs gestationis mensem, ut ad solum & pathognomonicum signum confugas (b).

CUI lucem elargitura mulier prægnans, huic non consciscat necem: matris enim & fœtûs vasa non alienos vehunt liquores, matri & fœtui, placentulæ ope, communis vita; utrique nùm communis malorum cohors? reverà extinctâ matre, mox interiturus est infans; hunc etiam mortuum, non sine vitæ discrimine, ut plurimùm, abigit illa. Tota igitur gestantis cura sit, ut immaturus non præcipitetur partus. Infantis legitimus incarcerationis terminus in nono statuendus mense: an verò septimestres fœtus octimestribus magis vitales sint? Absolutè denegandum; hi enim rarò, ferè nunquam illi hospites vivunt: hinc quæ-

(a) Hermannii Boerhaavii *Institu. Med. de Conceptû. §. 673. 674.*

(b) Confer Franc. Mauriceau de mulierum prægnant, partur, puerper, morbis *Tract. Lib. I. Cap. VI. Delamotte: Traité des Accouchemens Liv. I. Chap. XI. Deventer nov, lum, obst. Cap. XV.*

que exclusio foetus nono anterior mense abortus merito pronuntianda.

I N N U M E R A S dicunt abortionis causas, quid mirum, si tot undique gravidas circumstent pericula: convulsione tamen causas & hæmorrhagiæ, ut abortus frequentiores, etiamque urgentiores censemus: ideo ruses ferinæ, equitatio, vectatio, saltus, ictus, lapsus, &c. Succutiendo placentam, præmaturum suscitabunt partum; nec non & quidquid uteri fibras lacerare, ejus spasmus suscitare valebit; vehementes animi affectus; imprimis plethora, cruoris profluvium incompestibile ciendo.

P R I M I S gestationis mensibus cur plus timendum, plus arcedendum sit periculi ex abortione? Cur ultimis exitiale magis sanguinis profluvium? Per dies quàm plurimos, imò hebdomadas coercitus cruor, cur fusiùs, si rursùm erumpat? Elegantes docet M. celeberrimus Puzos (a). convulsio, hæmorrhagia immodica, si partu solerter peracto non compescantur, ut plurimum lethales.

I M M I N E N T E M abortum semper præfagit hæmorrhagia: idoneo situ, venarum sectione hæc sistitur quandoque; quod irritum foret, si renùm doloribus, si pondere novo in pudendis vexetur gravida, si pulsus crebrior, febriculosus, si per nimis dilatatum os uteri conglobatim sanguis exeat: astringentibus, volatilibus qui tùm plus æquo consideret, delusus, matri & foetui necem inferret; ex immodico enim sanguinis profluvio languent vires, deficiunt; instant animi deliquia, syncope, spasmus, convulsiones; præceps subsequitur mors: non cunctandum itaque, in morâ periculum, in partu verò per methodum M. Puzos certa salus (b); tùm illicò promovendus partus.

C R E S C E N S foetus carceris mœnia sensim ac sensim perpetuò amovet, extendit: nunc perfectis organis, satque firmato partium elatere, maturus infans, coarctiùs quidem in ergastulo, difficiliùs gestatur: nunc ad rupturam fermè distensus uterus (c) ampliari

(a) Vid. Acta Regia Chirurg. pag. 358. & sequentia. *Mémoire sur les Pertes de Sang dans la Grossesse. Par M. Puzos.*

(b) Item pag. 369. *Manière d'Accoucher la plus sûre dans les Pertes de Sang.*

(c) Moriceau, Traçt. de mul. præg. partur. puerp. morbis: descripti part. genit. mul. Cap. IV. de Utero.

nequit, ulteriora denegans : foetus exitum ergo per vaginam modo properabit ipse : unde partus, naturalis vel contra naturam dicendus.

A conceptu ad partum non diversus est foetus in utero situs ; qui rectus vel pravus distinguitur : rectus infantis situs naturalem illius disponit exitum , solius naturæ conatu, quandoque arte juvante , peracturum : idcirco facilis, difficilis-ve partus naturalis.

QUAMQUAM sit diversa partus naturalis prognosis, illius tamen una diagnosi: vomitus, tenesmus, nisus versus inferiora repetiti, pulsus frequens, ardescens facies, oculi coruscantes, operosa respiratio proximum partum denotant: urgentem, totius corporis tremor, alii aliis dolores magis repentini, humor mucosus, cruentus per vaginam effluens, os uteri tandem ad manus volam dilatatum.

IN foetu secundinisque educendis sat superque valet natura : facilis sanè tum intelligatur partus : hæc incohat namque opus, dirigit & sola perficit ; dubitas? Parturii perpende mechanismum : ex piriformi globosus uterus, continuo pressus nequaquam extenditur, patitur & totus contrahitur, ejus præsertim fundus, musculo ruyfchiano firmatus, corrugatus, quem auxiliantur abdominales musculi & diaphragma : magis ac magis emollium os uteri, impellentibus aquis explicatum, gradatim dehiscit, aperitur ; sensim & dilatatur vagina ; jam ruptis membranis fluunt aquæ ; hinc crebriores fiunt impetus ; satis nunc patent ostia, & protrusus pertinaciter foetus modo nasciturus est. Ad partum facilem vix confert ars obstetricaria : nam, infante in lucem edito, funem, præmissis ligaturis, resecare, secundinasque, ut plurimum solutas, tantum allicere est obstetricis.

IN partu difficili, foetu & utero rectè sitis, plurima haud raro occurrunt debellanda : remissiores v: g: dolores ; membranarum crassities; callosum os uteri; angustia pelvis; ædemate vel ecchymosi si valde obtumeant pudenda ; hydropicus foetus, mole major, emortuus ; sordes non expurgatæ ; syncope ; hæmorrhagia ; convulsiones ; hernia, imprimis exomphalos ; placentula intimè coalita &c. quàm celerrimè igitur hæc quæquæ discutiat solers Chirurgus ; ideo os uteri si dilatent digiti, crebriores suscitabunt dolores ; firmiores membranæ unguibus discerpentæ ; oleo butyro, Balneis

callosæ relaxentur uteri fibræ ; os coccygis , in his angustis , tenaciter retrudatur (a) ; sanguinis missio , scarificationes ecchymosi , ædema adversentur ; in hydropico foetû aquarum fluxus unco properandus ; catheteris & enematum ope sordes expellendæ ; syncope volatilibus , cardiacis , convulsiones , hæmorrhagia festinato partu subleventur ; hernia manibus firmiter superimpositis coërceatur ; placenta denique ab utero digitis cautissimè avellenda , foras educenda.

Quæ partûs primaria causa , inter se dissentiunt autores : à motibus infantis quidam partûs repetunt stimulos (b) . Quidam ab excrementorum pondere , acrimoniâ (c) ; alii ex respirationis , ex alimenti defectû : at immeritò ; has enim causas sufficienter abrogant gemelli , moles & quavis corpora , in utero contenta . Ab uteri actione repetenda igitur primaria partûs causa ; primus agit , solus concutit uterus.

SANGUINE & humoribus turgentia post partum uteri vasa , hiantia sanguinem purum multum fundunt : verum corrugatis uteri fibris , coarctantur illorum oscula ; liquidum tunc dilutum , serosum , tandem viscidum & pallidum (lochiorum nomine) per plurimos dies expellunt : lochiorum quantitatis , consistentiæ , odoris , à puerperæ plethorâ , diathesi , victû repetendum discrimen.

Ex tractû , directione , capacitate vasorum diver à lochiorum & lactis desumitur disparitas nam sistente lochiorum fluxû , mox intument tubuli lactiferi , quibus depressis lochia abundantiora defluunt : lactis itaque & lochiorum homogenea materies cum sanguine vehitur & ab ipso secernitur . Dein quare tribus ut plurimum à partû diebus hic ad mammas ubertim appulsum ? Quare tùm puerperæ febris lactea dicta ? Lactis cur idem sapor , odor , vires assumptorum ? Clarissimè patet (d) .

(a) Conf. Deventer nov. lum. obst. de Partû difficili Ex pravâ pelvis formâ Cap. XXVII.

(b) Diff. Anat. Raymundi Vieussens de structurâ & usû uteri & placen. mul. Art. XXVI. Philip. Verheyen suppl. Anat. Tract. V. Cap. XXIII. de partû nat. ejusque causis.

(c) Drelincurtius de concept. parte alterâ , perioche LX. Hermannus Boerhaavius Institu. Med. de Concept. §. 685.

(d) Vid. Hermanni Boerhaavii institu. Med. de Conceptû §. 687. pag. 354.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præsidente M. LUDOVICO-JOSEPHO DE LA ROCHE, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur GASPARD THEVENOT, D'authem Augustodunensis, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
*Die 19^a Septembris, anno 1752. à sesqui-secundâ post
 meridiem ad Septimam.*

PRO ACTU PUBLICO
 ET
 MAGISTERII LAUREA

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii
 Typographi. 1752.

